







ANNALES

QUOS SCRIPSIT

ABU DJAFAR MOHAMMED IBN DJARIR

AT-TABARI.

Vol. 15

ANNALES

QUOS SCRIPSIT

ABU DJAFAR MOHAMMED IBN DJARIR AT-TABARI

CUM ALIIS EDIDIT

M. J. DE GOEJE.

INTRODUCTIO, GLOSSARIUM, ADDENDA ET EMENDANDA.

LUGD. BAT. — E. J. BRILL.
1901



INTRODUCTIO.

Abû Dja'far Mohammed ibn Djarîr ibn Jazîd natus est exeunte anno 224 aut initio anni 225 in urbe Amol provinciae Tabaristân, unde vulgo at-Tabarî appellatur, saepe praemissâ etiam konjâ Abû Dja'far aut Ibn Djarîr. De nomine avi patris ejus non consentiunt biographi. Plerique eum dicunt Kathîr ibn Ghâlib, auctor *Fihristi* ٢٣٤ eum Châlid vocat et ita Ibn Challicân, qui vero etiam alteram traditionem memorat. Tabarî ipse, quum de genealogia interrogaretur, distichon Ru'bae poëtae[a]) recitasse fertur:

Pater al-'Adjdjâdj domum condidit; itaque nomine me compelle, missâ longâ genealogiâ; sufficit.

Nihil nos docent biographi de prima juventute. Adultus a patre, qui re familiari satis lauta gaudebat, veniam accepit visitandi magna centra eruditionis Islâmicae Rayi, Bagdadi et in aliis Irâci urbibus, in Syria et Aegypto, patre quotannis suppeditante expensa. Interdum, ubi sero advenit syngrapha paterna, inopia laborabat. Ipse narrat se semel manicas vestis vendidisse ut panem emere posset. Quum, auctore al-Ferghânîo, Rayo relicto Bagdadum venisset cum mercibus quibus victum quaesiturus esset, a furibus spoliatus est et ad eam gradum inopiae redactus fuit, ut vestes vendere coactus esset omnes praeter tunicam quarum etiam manicas circitori tradidit. Bonâ

a) Cf Nöldeke in ZDMG. L, 524.

fortunâ hoc ipso die amicus ei proposuit institutionem suscipere filii veziri Obaidallah ibn Jahjâ ibn Châkân. Tabarîo annuente, vestem ei mutuam commodavit qua veziro apparere posset. Hic quum eum vidisset et audivisset, ei filii disciplinam commisit pro salario menstruo decem denariorum, quod Tabarî accepit eâ conditione, ut quotidie otium haberet quo studiis, rebus divinis, epulis et recreandis animis vacare posset, et ut salarium mensis in antecessum sibi daretur, ut vesti ceterisque quae necesse haberet providere posset. Introductus itaque fuit in paedagogium omni suppellectili accommodatum, ubi brevi tempore puerum artem scribendi docuit. Quum in gynaecaeo tabulam a discipulo sua manu scriptam vidissent pueri mater aliaeque concubinae veziri, omnes gaudium ostendentes Tabarîo dono miserunt vasa denariis et drachmis plena. Quae accipere recusavit. Certum salarium stipulatus sum, inquit; ultro nihil mihi debetur. Quum vezirus eum hac de re interrogaret et peteret ut muneribus acceptis satisfaceret voto matronarum, minime, respondit; eae sunt mancipia quaeque sua appellant sunt domini, itaque revera augmentum foret salarii de quo inter te et me convenit et quod sufficit. Non parum hoc eum apud vezirum honore auxit. Quum Obaidallae veziratus duraverit ab anno 236 ad 248, patet Tabarîum tunc temporis juvenem fuisse. Quamdiu Bagdadi manserit et quos ibi et in aliis urbibus magistros deinceps secutus fuerit, non liquet. E loco Annalium III, ١٨٦٢ scimus eum anno 258 Bagdadi degisse. Sed anno 263 in Aegypto fuit. Abu 'l-Abbâs al-Bekrî, e posteris chalifae Abû Bekr, tradit certo die hujus anni Tabarîum cum tribus contubernalibus, singulis ut ipse Mohammed appellatis, viris summis Ibn Chozaima, Ibn Naçr al-Marwazî et Ibn Hârûn ar-Rûjânî, in metropoli Aegypti consedisse famelicos, adeo ut jam sorte designassent qui pro omnibus stipem colligeret, quum supervenit domesticus principis et nomine domini singulis crumenam quinquaginta denariorum distribuit. Hic princeps debet fuisse Ahmed ibn Tûlûn. Historiola probat jam tunc Tabarîum nominis famam adeptum

fuisse. Ex Aegypto redux, Bagdadi domicilium collocavit et ad mortem usque degit.

Viro moribus simplicissimo victui sufficiebat summa quam pater quotannis misit et post hujus mortem reditus praedii ex haereditate accepti. Non autem ita longe ante filium mortuus esse videtur pater, quod hinc deduco. Filius sororis Tabarîi erat illustris poëta Abû Bekr Mohammed ibn al-Abbâs al-Chowarezmî [a]), qui anno 323 natus est, teste Thaʿâlibî in *Jatîma* IV, ١٢٧ [b]). Ipsam igitur sororem circa 300 natam fuisse, probabile est. Quando amici ei dono mitterent aliquid ex eduliis, accipiebat quia sunna id praescribit, sed semper duplo majore dono compensavit, etiamsi res familiaris vix ferre posset. Quum hoc cognitum habuissent, deinde abstinuerunt. Munera et praemia semper et ubique recusabat. Chalifa al-Moktafî dixit veziro al-Abbâs ibn al-Hasan (circa annum 293): »fundum in pios usus legare volo, sed formula ita fiat legitima, ut nunquam de eo dissensio esse possit." Vezirus itaque Tabarîum arcessivit qui, dum chalifa inscio Tabarîo pone aulaeum praesens aderat, dictavit formulam omnibus numeris perfectam. Remunerationem splendidam ei oblatam quum accipere nollet, ministri chalifae praesentes dixerunt: »non decet eum qui ad ipsius chalifae officium vocatus est sic abire; sive praemium accipias, sive votum dicas cui satisfieri possit." — »Equidem votum habeo, inquit; chalifa mandet lictoribus ut prohibeant mendicos pervadere ecclesiam die Veneris antequam praedicatio absoluta sit." Chalifa mandatum dedit et magnâ omnes admiratione viri tenebantur. Idem vezirus in suum usum a Tabarîo petiverat compendium jurisprudentiae quod hic composuit et titulo *Kitâb al-Chafîf* ornavit. Vezirus mille denarios ad eum misit quae accipere recusavit. Dicebatur ei: »eleë-

---

a) Quoque الطَّبَرْخَزى dictus, quod nomen conflatum est ex الطبرى et الخوارزمى, Ibn Challicân n°. 675 in ed Wüstenf.

b) Obiit sec. Thaʿâlibî anno 383, sec. Ibn al-Athîr IX, ١٢٧ anno 393.

mosynis faciendis uti poteris." — »Illis, respondit, hoc relinquo, utpote melius quam ego egenos cognoscentibus." Quum anno 299 Mohammed ibn Obaidallah al-Châkânî vezirus factus fuit, Tabarîo primum magnam summam pecuniae obtulit quam deprecatus est, deinde munus kâdhîi aut judicium de repetundis, quae etiam rejecit. Amicos eum urgentes ut faceret objurgavit, dicens: »si ego vellem, vos me deberetis dissuadere."

Solum munus quo praeter institutionem discipulorum fungebatur, hoc vero gratis, erat munus antistitis in aedicula sua. Vir summus Ibn Modjâhid certo die recitationi ejus adfuit Rediens famulo dixit: »non putaveram ullum exstare qui librum divinum adeo suaviter recitare posset." Tempus autem dividebat inter componenda opera de quibus mox acturi sumus, et inter discipulos quibus ea dictabat et explicabat et a quibus dictata ei praelegebantur. Abû Bekr ibn Bâlaweih ita apud eum audivit magnum commentarium in Koranum annis 283—290. Narrant eum e discipulis quaesivisse an alacritatem haberent ad Commentarium cum eo tractandum. Tum illos quanti voluminis foret rogasse, et cum triginta millia foliorum continere audirent, respondisse: »at, in tanta lectione aetatem tereremus. Librum itaque concinnavit ad tria circiter millia foliorum. Eandem quaestionem posuit de Annalibus et idem responsum accepit. »Fervor, mehercle, studii periit" exclamavit et eas ad idem circiter volumen redegit. Historiola non omnino ficta videtur. Plurimis nempe locis in Annalibus narratio praecisa videtur, et ubi idem argumentum in Commentario et in Annalibus tractatur, diversae saepe traditiones afferuntur, quasi consulto in uno omissa sint quae in altero libro exstant.

Doctorem eximium eum fuisse, optima testimonia declarant. Abû Hâmid al-Isfarâinî dixit: »si quis iter Sinense fecisset ut Commentarium Tabarîi adipisceretur, magnum non foret." Hosainak, quum Bagdado Naisabûram redux ad magistrum Ibn Chozaima veniret, hic rogavit quorumnam doctorum lectionibus interfuerat. Quum Tabarîum non nominasset, excla-

mavit Ibn Chozaima: »quare Ibn Djarîr non audivisti?" Respondit: »non prodibat in publicum et Hanbalitae impediebant discipulos eum visere." — »Pessime egisti, inquit magister; mallem te eum audivisse quam ceteros omnes." Sobkî hoc narrans addit Hosainakum falso rumore in errorem ductum fuisse, Hanbalitas enim tunc temporis non valuisse aditum ad talem virum prohibere. Tabarîum vero ipsum, ut molestiâ visitatorum undique confluentium liberaretur et studiis vacare posset, selectos tantum viros et bene commendatos admisisse discipulos. Variis doctrinae Islamicae partibus excellebat. In Aegypto, teste auctore *Fihristi* ٢٣٤, 18 seq. auditoribus poëmata explicabat; ipsum vidisse, addit, autographa ejus argumenti lexicographici, grammatici, poëtici et genealogici. In componendo magno ad Koranum commentario magni ei fuit usus haec doctrina, et in Annalibus multa invenimus ad eam pertinentia. Sed non omnibus eâ praestabat; judex Ibn al-Bohlûl e. g. gloriabatur se certa opportunitate Tabarîum superasse [a]). Praecipuum vero, juxta historiam, studium erat juris et scientiarum ad hoc necessariarum, nempe exegesis Korani et traditionis.

In *Fihristo* legimus apud quos doctores Tabarî doctrinam Abû Hanîfae (scholae Iracensis), Mâliki (scholae Hidjazensis) et as-Schâfiʿîi didicit. Hujus doctrina, quam optime descripsit Goldziher, *die Zahiriten*, p. 20 seq. tanquam disciplinâ temperatum usum ratiocinationis, quae in schola Iracensi traditioni periculosa esse coeperat, Tabarîum ita cepit, ut ex Aegypto redux per decem annos eam profiteretur. Paulatim deinde in diversis quaestionibus tractandis alia quam Schâfiʿitis via sibi ingredienda visa est et propriam instituit scholam quam non pauci discipuli secuti sunt [b]), quo vero, quia discrepantia non methodum, sed questionum singularum solutionem spectavit, non desiit Schâfiʿitis annumerari.

---

a) Anbârî, *Nozhat al-alibbâ*, ٣١٩ seqq., Ibn al-Djauzî sub anno 310.
b) Cf. Loth in ZDMG. XXXV, 588 seq.

Hanbalitarum iram moverat eo quod Ahmed ibn Hanbal laudaverat tanquam gnarum et peritum collectorem traditionum, sed negaverat eum jurisconsultum esse. Recte ita judicavit de viro piissimo, probo, abstinentiâ et assiduitate insigni, rarâ memoriâ dotato, sed tenuis ingenii. Sed Ibn Hanbali admiratores Tabarîo infensi varias ei molestias parabant. Rumores spargebant eum esse schismaticum et haereticum. Abû Bekr, filius Abû Dawûdi qui editione corporis traditionum inclaruit[a]), accusationis libellum ad Naçr al-Koschûrî, cubiculariis officiis apud Moktadirum praepositum misit, in quo orthodoxiam ejus impugnavit. Argumenta quae attulit, ait Ibn al-Djauzî, nihili erant, sed Tabarî in apologia iratus scripsit: »non est in Islamo coetus ignobilis qualis horum hominum." Quod, idem addit, turpe fuit dictum, quia multos sibi plane ignotos hoc convicio comprehendit. Nos viro summo iram facilius ignoscemus, non enim accusationibus sed etiam aliis modis inimici eum vexabant. Exempli gratia, quum praedicatoris popularis cujusdam fictiones impugnaverat, vulgus contra eum incitaverunt, ut lapidibus portam ejus obtureret[b]), quin post mortem effecerunt ut efferri non potuerit interdiu. Ibn al-Athîr haec narrans secundum Ibn Maschkaweih[c]), sententiam de hac accusatione hisce versiculis exprimit:

Invidebant viro cujus vestigia premere nequibant ideoque infensi ei erant et inimici,
Tanquam zelotypae conjuges sociae formosae prae invidia dicunt: facies ejus est deformis.

Sed poëta Abû Bekr al-Chowârezmî, filius sororis Tabarîi, qui schismaticus erat et Alidarum partes sequebatur, ea accusatione abusus est, gloriatus quod avunculus ejus easdem

a) Abû Bekr Abdallah, filius imâmi Abû Dawûd, natus est anno 230 (Sobkî cod. Leid. 73*a*, p. 345, ubi vita ejus). Malc II. Chal. I, 446 eum habet pro filio Dawûdi, conditoris scholae Zâhiridarum. Quod in errorem duxit Goldziher in ann. ad vitam Tabarîi ex Ibn 'Asâkir (v. infra).

b) Goldziher, *Muh. Studien*, II, 168.

c) VIII, ٩٨.

quas ipse opiniones professus fuerat. »Amoli natus sum, Djarîri filii avunculi sunt notumque est viros avunculis similes esse. En igitur, ego sum schismaticus jure haereditatis, dum alii id sunt absque vinculo cognationis" [a]). Multum autem abfuit a summo viro, moderatione insigni, ut Schî'itis fanaticis consentiret. In disquisitione de meritis Alîi cum Ibn Çâlih al-A'lam dixit: »is qui perhibet Abû Bekrum et Omarum non esse duces ad rectam viam, quomodo appellandus est?" Respondit: »schismaticus". Indignabundus exclamavit Tabarî: »schismaticus? schismaticus? Imo morte plectendus est. Is qui negat Abû Bekrum et Omarum duces fuisse ad rectam viam, occidendus est, occidendus!" Absentia vero favoris popularis plus quam compensabatur admiratione et veneratione optimi cujusque. Vidimus quanti eum fecerunt veziri al-Abbâs ibn al-Hasan et al-Châkânî. Idem novimus de summo viro Alî ibn 'Isâ, veziro Moktadiri [b]), de multisque aliis.

Gravis erat, sed tamen joco indulgere non sprevit. Othmân ad-Dînawarî narrat se certo die interfuisse collegio discipulorum simul cum al-Fadhl ibn Dja'far ibn al-Forât, cognato veziri Ibn al-Forât et qui ipse postea vezirus fuit. Quum is cujus partes erant praelegere haesitaret, »Quare non incipis?" rogavit Tabarî. Nutu hic monstravit al-Forâti nepotem, quasi hic praecedere deberet. Dixit autem Tabarî: »si tua vicis est respondendi, ne cures neque Tigridem neque Euphratem", alludens ad nomen al-Forât quod Euphratem designat. Firmiter sibi persuasum habebat, missionem Mohammedis esse veram, verba factaque ejus normam, et sociorum exemplum omnibus imitandum. Quin etiam miraculis Profetae ubi fido testimonio niti videbantur, fidem habebat e. g. eo quod narratur in Annal. I, ١٤٢٩. Promittit ibi se compositurum esse librum continentem traditiones quibus probatur dignitas profetica Mohammedis. Ceterum vero erat superstitione et opinionibus praejudicatis immunis. Ridet astrologos longaevitatem

---

a) Jâcût I, ٩٨, 16 seq. *b*) IA VIII, ٩٨.

Wâthiki praenuntiantes[a]) et qui anno 284 inundationem praedixerant[b]), utrum autem ominibus et praesagiis aliquid momenti tribuerit, non liquet[c]). At quod nuper judicium de eo tulit Wellhausen[d]) eum stupidum (stumpfsinnig) fuisse, iniquum appellare nullus dubito.

Rara erat industria. Narrant eum per quadraginta annos quotidie quadraginta folia scripsisse. Ferghânî, qui supplementum ad Annales conscripsit, addit hoc non esse absurdum, discipuli enim nonnulli Tabarîi computationem iuierunt numeri foliorum quae scripsit quem per numerum dierum ab adolescentia ad mortem dividerunt, quo evenit quatuordecim folia per singulos dies. Sed quum a summa dierum necessario subtrahendus erit numerus dierum quibus studiis operam navabat et quibus aliis rebus occupatus erat, non multum ab illa aestimatione aberimus.

Diem obiit Tabarî versus finem mensis Schwawwâl anni 310. Horâ circiter ante mortem in ejus praesentia formula precis recitabatur quam Dja^cfar ibn Mohammed aç-Çâdik († 148) visitori Ka^cbae praescripserat. Tabarî atramentarium et chartam sibi dari jussit ut formulam exararet. »Hoccine tempore?" mirati exclamaverunt. »Homini, inquit, decet colligere scientiam ad mortem usque." Deinde precibus absolutis praescriptis, formulam Islami et Dei glorificationis pronuntiavit, ipse palpebras manu clausit, manus extendit et spiritum reddidit supremum. Capillus et barba vix canescere inceperant. Colore fuit fusco, oculis amplis, statura gracili et procera. Nullus mu^ɔeddhin mortem ejus annuntiavit, ut legimus in biographia. Forte hinc deducere licet, jam tunc morem valuisse quem describit Lane, *Modern Aegyptians*, Cap. 28, ut mors illustrissimorum virorum a summa delubri turre annunciaretur, recitatis a mu^ɔeddhino versibus Korani 76 vs. 5 seqq. Contra ingens numerus venit visitatum sepulcrum et

---

a) III, ١٣٦٤. Cf. etiam I, ٣٣٧٩, 4 seqq. *b*) III, ٢١٨٣.

c) Cf. II, ٩٠١, 17 seqq. *d*) *Skizzen* VI, 44 l. 2.

multi poëmate mortem ejus ploraverunt. Laudo tantummodo id quod pepigit Ibn al-A^crâbî cujusque initium est:

O dira calamitas, grave momentum, cui ferendo par non est summâ patientiâ praeditus!

Mortem qui annunciavit Mohammedis Djarîri filii, interitum scientiarum omnium praedicavit.

Opera quae reliquit non ita multa sunt, sed nonnulla ut Korani Commentarius et Annales, ut jam e praecedentibus patet, magnum habebant volumen. Doctrinam suae ipsius scholae exposuit in libro quem Ibn ᶜAsâkir appellat لطيف القول فى احكام شرائع الاسلام i. e. *Subtilis expositio de effatis legum Islami*, et *Fihrist* paullo brevius (كتاب) اللطيف فى الفقه *Liber subtilis (expositionis) de jurisprudentia.* Ibn ᶜAsâkir dicit totum opus constitisse 83 capitibus[a]) quorum caput quod introductionis instar erat, inscriptum fuisse dicit البيان عن اصول الاحكام *Expositio de principiis juris.* Juxta hoc opus sunt duo alia: compendium juris quod in usum veziri al-Abbâs ibn al-Hasan composuerat et quod titulum habet الخفيف فى احكام شرائع الاسلام *Levis expositio de effatis legum Islami*, et magnum opus quod ipse in Annalibus I, ١٣٥٥, 5 seq. بسيط القول فى احكام شرائع الاسلام, Ibn ᶜAsâkir et *Fihrist* tantum البسيط i. e. *Ampla expositio* appellant. Hoc opus inchoatum mansit. Primus liber *de purificatione* circiter 1500 folia occupabat, nam de unaquaque quaestione diversas opiniones sociorum Profetae, horum asseclarum et aliorum secundum varias traditiones[b]) dedit et argumenta quibus fulsus elegit quod sibi praeferendum videretur. Praeter hunc edidit librum *de precibus*, e quo in Annalibus l. l. laudat caput *de precibus in trepidatione*[c]). Porro secundum Ibn ᶜAsâkir et Sobkî haec capita: *disciplina judiciorum* aut, ut Makrîzî habet, *judicum*, *Fihrist: disciplina judicis; instrumenta litis et diplomata; descriptio doctorum in classes.* Postremum non memorat *Fihrist.* In hoc

---

a) Quod Makrîzî habet 33 mendosum videtur.

b) من طُرُقها.   c) صلاة الخوف.

vero adduntur: magnus *liber actorum; testamenta; tributum in beneficium egentium.* Cum hisce operibus cohaeret opus quod vero non absolvit c. t. اداب النفوس i. e. *Disciplina animorum,* e pretiosissimis ejus librorum, describens officia quae singulis partibus corporis incumbunt. Initium fecit ab officiis cordis, linguae, visûs, auditûs et sic porro, memoratis effatis Profetae, sociorum, horum asseclarum, eorumque quorum effata argumento sunt, et ipse de iis argumentatus est, allatis quoque iis quae theosophistae et religiosi docuerunt et ipsi egerunt, et exposuit quid ex his omnibus tanquam bonum et rectum accipiendum sit. Libri argumentum ipse auctor circumscripsisse videtur verbis اعمال الجوارح بالاداب النفيسة والاخلاق الحميدة i. e. *Exercitium membrorum regulis exquisitis et moribus laudabilibus,* teste Ibn Chair, *Fihrist* ed. Codera, p. ٢٨٨, et hinc H. Chal. I, 212 habet titulum (falsum) الآداب الحميدة والاخلاق النفيسة. Liber memoratur in *Fihrist* ٢٣٥, 12 (ubi ادب النفوس) et etiam ab Ibn al-Abbâr, *Mo^c^djam* ed. Codera, p. ١١٧ l. paen. Suum ipsius systema de principiis juris exposuit in epistola ad doctores Tabaristani, cui titulum dedit التبصير *Explanatio.* Memoratur a Dhabbîo ed. Codera, p. ١٨٩ et ١٨٨. Tanquam opus separatum laudatur آداب المناسك *Regulae caeremoniarum sacrarum in peregrinatione Meccana*, expositio omnium quae peregrinatori agenda et dicenda sunt, inde ab initio itineris ad finem festi. In *Fihrist* non memoratur. Doctrinam suam religiosam secundum socios Profetae, eorum asseclas et praecipuos theologos exposuit in libro شرح السنّة *Expositio Sunnae.* Dhabbî l. l. ei dat titulum صريح السنّة *Spumae expers Sunna.* Liber اختلاف علماء الامصار *Variae virorum doctorum disciplinae,* in quo de jurisconsultorum scholis egit, laudatur etiam in *Fihrist* et ab H. Chal. I, 196. In hoc libro Ahmedis ibn Hanbal mentionem non fecit et interrogatus quare non fecerat, respondit eum jurisconsultis non annumerandum esse, quod, ut vidimus, Hanbalitas exasperavit. Cum hisce operibus com-

ponendus est liber فضائل الجهاد *Praestantia belli sacri*, quem memorat Dhabbî l. l.

Opera de traditionibus sunt: المُسْنَد المُخَرَّج *Traditiones conquisitae ad Profetam tanquam auctorem ascendentes*, qui liber omnia Profetae dicta, quae a sociis ejus traduntur, tam bene confirmata quam dubio obnoxia continere debuit, sed incompletus mansit. Deinde magnum opus c. t. تهذيب الآثار *Traditiones concinnatae*, cujus initium fecit tractando traditiones Abû Bekri fide dignas. Singularum exposuit primum qua opportunitate aut quam ob causam exstitissent et varias vias per quas ad eum pervenissent, deinde quid jurisprudentiae et institutionis continerent et varias doctorum sententias de hisce et argumenta quae singuli attulissent, porro observationes philologicas ad sententias et verba rariora, denique quid haeretici in iis obtrectandum invenissent et refutationem eorum. Ingentis hujus corporis traditionum complevit libros qui traditiones continent decemvirorum quibus Profeta locum in Paradiso iis paratum annunciavit (Abû Bekr, Omar, Othmân, Alî, Talha, az-Zobair, Abdarrahmân ibn ^{c}Auf, Sa^{c}d ibn abî Wakkâç, Sa^{c}îd ibn Zaid et Abû ^{c}Obaida ibn al-Djarrâh), eorum qui ad familiam Profetae pertinuerunt et clientum ejus; libri de traditionibus Ibn Abbâsi magnam partem absolverat quum diem obiit.

Maximam vero operam Tabarî impendit Codici sacro. Commentarius magnus in Koranum quem composuit non tantum secundum Orientales, sed quoque e judicio Cl^{i} Loth, qui quum Kâhirae esset anno 1880 manuscriptum ibi asservatum penitus examinavit de eoque disseruit in ZDMG. XXXV, 588—628, omnium operum ejus nobilissimum est. Explicavit, ut scribit Ibn ^{c}Asâkir, ejus jurisprudentiam, effata abrogantia et abrogata, difficultates, dicta rariora et sensum verborum, diversitatem interpretationum verborum et decisionum et quid ex iis tanquam verum statuendum esset, tum quae ad grammaticam pertinent, haereticorum sententias cum refutatione,

quae ex historia Profetae et ex historia Gentium ad melius intelligendum textum inservire possent et res eschatologiam spectantes. Vulgo appellatur التفسير *Commentarius*, sed verus titulus fuisse videtur quem ipse Tabarî dat in Annal. I, ٨٧, 2 جامع البيان عن تأويل آى القرآن *Corpus expositionis in explicandis versibus Korani*. Plura addere non opus est, sed quod pronuntiavit votum amissimus Loth, editionem nobilis hujus operis desideratissimam esse, libenter meum facio. Recitationi Korani multam etiam operam consecravit Tabarî et ipse in ea excelluit. Librum de diversis legendi modis numero viginti edidit, quem titulo ornavit الجامع *Collectio*. Vid. Nöldeke, *Geschichte des Qorān's* p. 293 et H. Chal. II, 578, V, 135. Ibn ᶜAsâkir eum appellat كتاب القراآت والتنزيل والعدد i. e. *Liber de variis modis recitandi, de revelatione et de numero illorum modorum.*

Nobis omnium ejus operum est pretiosissimum التاريخ *Annales*, de quibus mox uberius disserendum est. Antea memorandus est liber quem Ibn ᶜAsâkir appellat كتاب الفضائل i. e. *Liber praestantiarum*, in quo nempe quatuor chalifarum Abû Bekr, Omar, Othmân et Alî merita exposuit. In parte de Alîo disseruit de celebri traditione, a Schîᶜitis maximi facta, quae حديث غدير خمّ *Traditio stagni Chomm* appellatur, ubi nimirum Profeta dixisse fertur: »cujus ego sum maulâ (patronus, cliens), hujus maulâ est Alî" [a]). Haec pars separatim edita fuisse videtur, nam Tûsî, *List of Shyᶜah books*, p. ٢٨١ memorat كتاب غدير خمّ i. e. *Liber stagni Chomm*. Ipse liber de praestantiis non absolutus fuit. Erat revera refutatio tractatus quem de eodem argumento conscripserat Abû Bekr filius Abû Dâwûdi as-Sidjistânî, qui, ut supra vidimus, eum haeresis Djahmiticae accusavit.

In *Fihristo* Tabarîo tribuitur liber c. t. المسترشد *Recta institutio*, sed secundum Tûsî auctor hujus libri est alius

a) Cf. Bibl. Geogr. VIII, ٢٥٥, 20.

Tabarî, item Amoli civis, qui Schîᶜitis (imâmitis) annumeratur (dum noster عامّيّ *orthodoxus* vocatur) et praeterea composuit librum de imâmatu. H. Chal. V, 103 nostro attribuit كتاب الشذور i. e. *Liber laminarum aurearum*, sed quum nullus aliorum hunc titulum habeat et H. Chal. auctorem ibi Hanbalitam appellat, errorem subesse valde probabile est[a]).

Transitum ad Anuales facit تاريخ الرجال *Historia virorum* i. e. auctoritatum traditionum quibus in operibus usus est. In introductione Annalium I, ٦, 5—18 legimus: »Deinde hisce omnibus (Annalibus) absolutis, Deo volente et adjuvante, adjungam mentionem sociorum Profetae nostri Mohammed, nomina eorum et cognomina, genealogiam quatenus nota est, spatium vitae, tempus et locum quo diem obierunt; deinde eodem modo memorabo eos qui sinceritate animi eos secuti sunt, denique qui hos exceperunt. De his autem uberius loquar, ut distingui possit inter eos quorum auctoritatem comprobavi et communicationes retuli, eos quorum auctoritatem non agnovi, communicationes rejeci, et eos quorum auctoritas parva, relatio infirma est, et exponam quare alii respuuntur, alii invalidi censentur." Hoc opus describit Ibn ᶜAsâkir ut Historiam virorum e sociis, eorum asseclis et qui hos secuti sunt, inclusis iis a quibus ipse auctor traditiones accepit. Ibn Hadjar librum saepe laudat sub titulo الذيل *Supplementum*, non vero ipse inter fontes habuisse videtur. Deperditus est, sed bonâ fortunâ excerptum ad nos pervenit cujus codex in Aegypto acquisitus a Nob. von Kremer[b]), nunc in Museo Britannico asservatur, ubi nº Suppl. 618 signatus est[c]). Hoc excerptum tanquam supplementum edidimus

---

a) Compendium parvum (مُجَيْلَّد) quod Ibn al-Djauzî e magno opere suo historico المنتظم fecit, titulum habuit secundum Sachâwî, cod. Leid. 677, f. 94 r., qui autographum vidit, شذور العقود فى تاريخ العهود. Hoc forte intelligitur.

b) Vid. Loth in ZDMG. XXXII, 581 seqq.

c) Rieu, *Supplem.* p. 407 seqq.

ad calcem Annalium. In titulo vocatur Excerptum e ذيل المذيّل i. e. *Supplementum libri* المذيّل et p. ٢٣٥٨, 1 docemur hunc المذيّل *Librum appendice auctum* fuisse compendium ex Annalibus factum et quidem ab ipso auctore, ut etiam opinatur Rieu. Quod confirmatur primum eo quod Hamza Ispahanensis ١٤٩[a]) et auctor libri دستور المنجمين, cod. Scheferi, *Mak.* X, *Façl* 7, opus Tabarîi المذيّل appellant, deinde eo quod loci ubi in Appendice المذيّل laudatur, revera in Annalibus repeCriuntur. Sunt ٢٣٢١, 12, ٢٣٣٥, 3, ٢٣٥٨, 1 seq., ٢٤٧٦ ult., ٢٤٩٨, 6. Idem Annalium compendium p. ٢٥٣٤, 3 titulo التاريخ indicari fere certum est, et revera non diversum videtur esse ab Annalibus quae nunc habemus et quae auctor ex opere ingenti ad decimam ejus partem voluminis concinasse fertur, ut supra vidimus. Utrum locus ex Annalibus, an ex Appendice intelligi debeat ٢٤٠٠, 14, efficere nequeo, sed hoc verisimilius puto, non enim Appendix quam edidimus tantum est florilegium, sed etiam codex damna perpessus est, e. g. ٢٤٧٨, 8 seq. legimus auctorem egisse de iis qui anno 76 mortui sunt, quae vero pars desideratur. Ordo quoque turbatus est, nam postquam habuimus qui annis 161—198 mortui sunt, sequuntur p. ٢٥٢٢ qui anno 37 obierunt. Quis excerptum fecerit non comparet. Forte is qui codicem exaravit i. e. Abu 'l-Kâsim Alî ibn Abdalazîz ibn Mohammed ibn Abdalazîz, qui licentiam docendi operis ذيل المذيّل obtinuit ab al-Hâkim an-Naisâburî, Ibn al-Baiji[c] appellato († 405). Hic librum acceperat a noto Tabarîi discipulo Makhlad ibn Dja[c]far al-Bâkarhî. Loth et Rieu compendium a Makhlad factum fuisse autumant, sed inscriptio titulorum korrâsarum mihi secus suadere videtur. Laudatur ذيل المذيّل a Dhabbîo ١٨٦ كتابه (الطبرى) فى التاريخ المعروف بذيل المذيّل, item ab Ibn Chair ٢٢٧, sed dubium

a) Cf. Kosegarten *Praef.* VI seq.

fere esse nequit, hoc titulo ibi designari ipsum librum المذيّل cum Appendice. Nam Ibn Chair addit eum constare viginti partibus (جزء) qui ipse circiter numerus voluminum Annalium fuisse videtur a), et Annales in Hispania non desiderabantur, ut patet e. g. ex Ibn al-Abbâr in *Tekmila* ١٢٢ تاريخ ابى جعفر الطبرى بصلة الفرغانى et ٤١٢.

Difficile dictu est quid in *Fihristo* intelligatur verbis ويضاف اليه القطعان »et adjunguntur iis (Annalibus) duae sectiones." Tabarî ad calcem operis (III, ٢٢٩٤) promittit se, si superstes fuerit, additurum esse quae post annum 302 acciderint. Invenimus revera additamentum p. ٢٢٨٩ de Hallâdjo (cf. ann. *d*). Ibn al-Athîr VIII, ٩٨ dicit se in nonnullis Annalium exemplaribus invenisse additamentum continens annum 303. Hamza (v. infra) locum laudat ex anno 305. Secundum H. Chal. II, 136 Annales usque ad annum 309 continuatae fuerunt. Denique Sachâwî, postquam de compositione Annalium disseruit, addit وله على التاريخ المذكور ذيل بل ذيل على المذيل ايضا »ad Annales addidit Appendicem et deinde ad hanc Appendicem aliam." Talia probabiliter additamenta voluit auctor *Fihristi* b). Fieri tamen potest eum intellexisse additamenta qualia caput de scribis publicis II, ٨٣٥ seqq., commentarius ad orationem al-Haddjâdji ib. ٨٦٩ seqq., quae quasi incidunt textum. Supplementum memorabilium e vita Omaris II in unius tantum codicis margine exstat et forte alium auctorem habet.

Ibn al-Djauzî dicit librum qui sua aetate in manibus omnium fuit, esse epitome ex majore opere confectum c). Textus Annalium editus, e plurimis, ut mox patebit, sparsis fragmentis restitutus, maximam certe partem opus majus d) exhibet, nonnullae vero partes ad epitome referendae videntur. Plures enim loci ex Annalibus sive sub titulo التاريخ, sive ut apud

---

a) Cf. Kosegarten *Praef.* IV.

b) Cf. editoris nota II, 103.

c) H. Chal. II, 136.

d) I e. opus ab ipso auctore ad volumen 3000 foliorum concinnatum

Hamza sub titulo الذيل laudantur qui non exstant in editione Leidensi. Locus Hamzae p. ١٨٧ de plaga murium in regionibus Sarachsi et Merwarûdhi anno 222 desideratur, ut etiam (ibid.) de terrae motu in Ahwâzo anno 225. Terrae motus in Kûmis et in Jemen p. ١٨٩ anno 241 in Annalibus sub anno 242 (p. ١٤٣٣) narratur, sed multo brevius. Contra locus ex anno 258 p. ١٩. laudatus exstat p. ١٨٧٢ ult. seq., ex anno 276 (ibid.) p. ٢١١٦, locus de Nilo p. ١٩١ ex anno 278 habetur p. ٢١٢٤, 1 seq. sed brevior. Exstant in Annalibus loci de calamitate Dabîli (ibid.) p. ٢١٣٩, de inundatione falso praedicta anno 284 (ibid.) p. ٢١٨٢, de procella in Kûfa et Basra (ibid. seq.) p. ٢١٨٣ seq. Denique p. ١٩٢ habet locum ex anno 305 respondentem loco ʿArîbi p. ٦٢ sub anno 304, qui igitur in additamentis ad Annales exstitisse videtur.

ʿArîb p. ٢٨, 14 seqq. locum Tabarîi ex anno 296 laudat, qui in editione Leidensi non reperitur. In *al-Bayân al-Moghrib* I, ١٦٨, 3 laudatur narratio quam Tabarî sub anno 299 dedit de Zijâdatallah et addit auctor ʿArîbum finem historiolae aliter tradidisse. Hujus locum habes p. ١٤٤ sub anno 296. In editione Leidensi locus desideratur.

»Non memoravit Tabarî, scribit Ibn al-Athîr I, ٣٦٧, ex historia (diebus) veterum Arabum nisi diem Dhû Kâr, historiam Djadhîmae al-Abrasch, az-Zabbâae, Tasmi et Djadîsi", unde novimus eum usum fuisse codice Annalium editioni Leidensi simili. Auctor autem est nobis scriptor *Kitâb al-Aghâni* certe diem Boʿâthi (IA I, ٥١.) in Annalibus exstitisse, vid. XV, ١٦١ seqq., et hinc probabile fit ceteros quoque non defuisse. Locus de nece ʿOkbae ibn abî Moʿait in *Agh.* I, ١٠, 8 seqq. ut quoque apud Ibn abî Oseibia I, ١١٥, 27 seqq. multo prolixius datur quam in editione Leidensi I, ١٣٣٥, 11 seqq. — Locum *Agh.* III, ١٩٠, 16 seqq. de Omaija ibn abi ʾç-Çalt in editione non inveni. — E locis de Hassân ibn Thâbit IV, ٧, 4 seqq. in editione non exstat; ١٢, 1 seqq. in editione (١٥٢٦, 6) caret *isnâdo*, ceterum ad ١٥٢٨, 1 convenit, nisi quod *isnâd* ١٥٢٧, 3 seq. desideratur ut in cod. S.; locus ١٤, 9 seqq. = ١٥٢٨,

1—8; ١٥, 14 seqq. = ١٤٧٩, 10—١٤٨٠, 8; ١٧ seqq. = ١٢٩١ seqq. (ubi variae lectiones adnotatae sunt). Historia ᶜAçimi ٤٠ = ١٤٢٣١ seqq. ubi variae lectiones sunt adnotatae. Locum de Nâbigha al-Djaᶜdî cum Ibn az-Zobeir ١٣٨ non invenio in editione. Quae VI, ٩٨ de ضبيرة ejusque filio Abû Wadâᶜa traduntur, non sunt in editione (cf. p. ١٣٤٢٣); historia expugnationis Meccae ٩٧ seq. = ١٦٣٠ seqq., ubi var. l. l. datae sunt. Historiola de Abû Sofjân ٩٨, 10 af. seqq. in narratione de proelio apud Jarmûkum deëst, sed aliis verbis legitur p. ٢٣٤٨, 8 seqq.; locus de expeditione pultis ٩١ seq. = ١٣٩٤, 14 seqq., ubi var. l. l. adnotatae sunt; locos de Obeidallah ibn Abdallah ibn ʿOtba († 98) VIII, ٩٩, 9 a f. seqq., ٩٨, 4 a f. seqq. non invenio. Locus de Aus ibn Keizî et de fratre ejus al-Mirbaᶜ in die Ohod ١٠٥, 7 a f. seqq. in editione ١٣٩١ seq. brevior est. Traditio Profetae ١٦١, 7 seqq. an alicubi in editione exstet, nec affirmare nec negare habeo. Historia expeditionis contra Hawâzin IX, ١٤ seqq. = ١٦٥٥, 2 seqq., ubi var. l. l. memoratae sunt. Locus de Saᶜîd ibn al-ᶜAçi, praefecto Kûfae sub Othmâno XI, ٣١, in editione non reperitur. Traditio de distributione praedae Hawâzin XIII, ٩٧ brevior, sed eadem est quae I, ١٦٧٩ seqq. legitur. Historia Ismâᶜilitarum et Djorhomi XIII, ١٠٠ desideratur I, ٣٥١ seq. et ١١٣١. Descriptio diei Ohod XIV, ١٢—٢٥ = ١٣٨٤, 1 seqq., ubi var. l. l. datae sunt; relatio de rebellione in Bahrein sub Abû Bekri chalifatu ٤٦ = ١٩٠٧, ubi var. l. l. adscriptae sunt. Historia Mâliki ibn Noweira ٩٩ seq. in initio abbreviata est, continua fit = ١٩٢٢ seqq., ubi var. l. l. adnotatae sunt. Locus de Othmân ibn Mazᶜûn post reditum ex Abessinia cum versibus Labîdi ٩٩ seq. in editione desideratur; de ᶜAlkama ibn ᶜOlâtha XV, ٥٧ seq. = ١٨٩٩, ubi var. l. l. datae sunt, nisi quod in *Agh. isnâd* plenior sit. Locus de legatione ʿAmir ibn Çaçaᶜa ad Profetam ١٣٧ = ١٧٤٥, ubi var. l. l. adnotatae sunt. Locum de versu Labîdi ١٤١, 3 seqq. non invenio. Locus de expeditione al-Kardae XVI, ٨٠, 4 a f. seqq. est fere = ١٣٧٤. Historiola a Tabarîo narrata de versu Diᶜbili quo Motawakkilum perstrinxit XVIII, ٤١, 12 a f seqq. forte non ex

Annalibus petita est [a]). Ibi saltem non exstat. Locus *Agh.* XX, ٩٨ paen. seqq. in editione est II, ١٩٤٢ seq., ١٩٨١ seqq., ٢٠٠٦ seq., sed non pauca in editione elisa sunt. Var. l. l. in Add. et Em. dabuntur. Quae XXI, ١٦٤ de ᶜOrwa ibn Odheina apud chalifam Hischâm legimus, in Annalibus non inveniuntur. Denique locus de Abû Mihdjan in proelio Kâdisîjae ٢١٢ seq. in Annalibus I, ٢٣١١ ult. seqq. exstant, sed verba saepe non consentiunt, ut in ann. *k* editor observavit.

Quae Masûdî V, 8 e Tabarîo laudat de modo quo Moâwia acceperit nuntium de morte Hasani et quae Ibn abî Oseibia I, ١١٨, 25 seqq. e Tabarîo de veneficio dedit, in editione non sunt, neque etiam quae Mas. V, 40 de Moâwia e Tabari habet.

Ibn Challicân ad finem vitae Alî ibn Abdallah ibn Abbâs (n°. 436) locum Tabarîi laudat ex anno 95, ad finem vitae filii ejus Mohammed (n°. 579) locum ex anno 98, qui non sunt in editione Leidensi [b]). Ibn abî Oseibia I, ٢٣١, 19 seqq. laudat locum de morbo et morte Motadhidi, qui in editione Leidensi desideratur; cf. ann. *b* ad III, ٢٢٠٧. Verum Ibn Maschkaweih codice usus est cum editione congruente. Ibn Dokmak, ed. Vollers, V, ١٢٥, 9 seq. habet locum de expugnatione Alexandriae quae in editione non est. Locus Tabarîi quem laudat Jâcût I, ١١٠, 12 et III, ٦٢١, 17 forte e *Tafsîr* est. Locus II, ٩٣٢, 1 seq. = ١٤٧٠, 10; cf. ann. *f.*; locus III, ٦٠٤, 20 seqq. in Annalibus non invenitur, sed forte e *Tafsîr* desumtus est. Idem probabiliter valet de loco in *ᶜArâis* ٤٣, 1 seqq. laudato. In commentario ad Abû Mihdjan (Landberg, *Primeurs arabes*, I, ١٢) laudatur locus Tabarîi, qui in Annalibus non est, sed ex alio libro oriundus esse potest. Hisce omnibus adde quod plus semel dicit وقد ذكرنا dum frustra hanc mentionem in opere quaerimus e. g. II, ١٨٧١, 9 seqq. et 16 (coll. ١٧١٩, 11 seqq.), ١٧٤٠, 15, III, ٥١٧*e*, ٢٢١٨, 10 (coll. ٢١٢٧, 8, ٢١٣٠, 2). Haec sufficiunt ad thesin probandam.

---

a) Exstat autem ibi ejusdem satyra contra Mamûnum, III, ١١٥٥.

b) Locos indicavit Van Vloten, *De opkomst der Abbasiden in Chorasan*, p. 17 ann. 1, p. 18 ann. 2.

Annales opus optime concinnatum appellare nequimus. Distributio enim haec est, ut rerum gestarum aliae minute describantur, aliae paucis absolvantur, quod partim quidem consulto fecisse auctorem probabile est, partim vero ex ubertate aut raritate fontium, partim e redactione molis ingentis ad decimam partem explicandum est [a]). Constabant illae fontes non solum traditionibus undique collectis, sed etiam libris. Ipse memorat opus Abû Michnafi II, ٤١٣, 9, librum Omar ibn Schabbae c. t. كتاب اخبار اهل البصرة II, ١٦٨, 9 seq., librum traditionum e quo ei dictavit Zijâd ibn Aijûb I, ٣١٥٩, 1 seqq. cf. etiam I, ٤١٨, 11. Certum videtur eum ad manum etiam habuisse librum de regibus Persarum versum ab Ibn al-Mokaffâ, libros Ibn Ishâki (cf. I, ٩١١, 17), Wâkidîi, al-Madâinîi, Saifi, Ibn Taifûri, aliorum. Excepta brevi expugnationis relatione, ferme nihil dicit de Occidente, et quo laxius fieret vinculum provincias orientales inter et chalifatum, eo rariorem et breviorem earum mentionem invenimus.

Quam maxime deplorandum est, nullibi servatum fuisse completum exemplar nobilis hujus operis, quod olim in nulla majore bibliotheca ingentis imperii desiderabatur. Makrîzî I, ٤٠٩, 9 a f. seq. nobis auctor est, tempore chalifae Fatimidi al-ʿAzîz in bibliotheca metropolis Aegypti viginti exemplaria fuisse, inter quae autographum Tabarîi. Addit tunc temporis exemplar centum denariis emi potuisse. Quum Çalâh addîn cepit al-Kaçr, bibliotheca 1200 exemplaria continebat (ibid.). In bibliothecis orientalibus numerum item magnum fuisse, non est quod dubitemus. E tali copia ad nos tantum pervenerunt sparsa volumina, vix sufficientia ad editionem totius operis parandam, aut ne vix quidem, nam I, ٢٣٨٣—٢٤١٤ ex Ibn Hobeisch et IA suppleta sunt, quum in nullo Tabarîi codice existerent. Item locus ex anno 37, nam cod. Köprülü 1045 incipit epistola Alîi = IA III, ٢٨٣ ult. Minores lacunas silentio praetereo.

---

a) Cf. ann. 2 ad Nöldeke vers. p. 313 (textus ١٠١٦).

Antequam historiam editionis nostrae exponam, paucis agendum est de supplementis ad Annales ab aliis conscriptis. Ex his primo loco citari debet Abû Mohammed al-Ferghânî, nomine Abdallah ibn Ahmed [a]) ibn Djaᶜfar ibn Chodhjân [b]) ibn Châmis, dux militaris [c]), etiam at-Tarîchî i. e. *historicus* appellatus et dictus al-Ferghânî, quia avus Chodhjân fuerat e Turcis quos Moᶜtacim coëmi jussit Ferghânae, legioni principis destinatis. Anno 282 natus Tabarîi fuit discipulus, postea Bagdado relicto, aliquamdiu vixit Damasci, taudem in Aegypti metropoli domicilium fixit. Teste ᶜArîb ٥٩, 19 seq. hic libro suo titulum dedit المذيّل *Appendice augens* [d]), secundum H. Chal. II, 136 seq. titulus erat الصلة et ita vocatur ab Ibn al-Abbâr in *Tekmila* ١٢٢ [e]). Quatenus e locis inde ab ᶜArîb et Ibn ᶜAsâkir laudatis judicare possumus, hujus appendicis jactura quam maxime dolenda est. Eo magis gaudemus quod ad nos pervenit pars libri ᶜArîbi Hispani qui inter annos 363 et 366 scripsit cujusque opus secundum bonam descriptionem al-Makkarîi I, ٩٩١, 3 seq. est redactio compendiosa et simul multis aucta Tabarîi cum supplemento historiae ad calcem Annalium. Editio hujus partis quatenus nondum edita fuit a Dozyo in *al-Bayân al-Moghrib* nuper prodiit. Deinde continuatio Annalium data est ab Abu 'l-Hasan Mohammed ibn Abdalmelik ibn Ibrâhîm al-Hamadhânî al-Maqdisî al-Faradhî as-Schâfiᶜî (463—521), cujus pater Hamadhâno oriundus, ut

---

a) H. Chal. II, 136 seq. male Mohammed.

b) خُذْيان; lectio et pronuntiatio praescribuntur ab Ibn ʿAsâkir in vita quam meum in usum e cod. Damasceno Malik Tahir 7 descripsit Dus. Van Vloten.

c) الامير القائد الجُنْدى.

d) Elidi المذيَّل, sed cod. المذيل et Ibn ʿAsâkir habet كتاب التاريخ الذى ذيل به تاريخ الطبرى.

e) Supplementum deductum fuisse videtur ad Adhad addaula Abû Schodjaʿ initio anni 360. In cod. Leid. Sachâwîi f. 93 r. revera الهمذانى non الفرغانى legitur, sed hoc vitiosum esse, luculenter apparet, v. infra.

docet Sobkî, Bagdâdi domicilium collocavit. Teste Sachâwîo, cod. Leid. 677, f. 9 v. seq. supplementum ejus ad annum 487 pervenit. Vide Catal. Paris I, 282*b* sub n°. 1469, ubi describitur tomus prior, solus qui superstes videtur et qui anno 367 terminatur. Praeter hoc etiam continuationem scripsit ad Abû Schodjâᶜi supplementum ad Ibn Maschkaweih, et Ibn an-Naddjâr apud Sobkî eum postremum historicorum nominat[a]. In praefatiuncula ad editionem ᶜArîbi dixi quare hujus Hamdânîi voluminis edendi consilium rejecerim.

In *Fihristo* nullus supplementi auctor nominatur. Scribit tantum auctor: »in compendium redegerunt hunc librum (Annales), omissis catenis traditionum, complures ut Mohammed ibn Soleimân al-Hâschimî, scriba nomine.... (nomen excidit), et ex incolis Mauçili Abu 'l-Hosain as-Schimschâtî, ludimagister, et certus as-Salîl ibn Ahmed. Plures etiam continuaverunt librum, inde ab anno quo abrupit auctor ad nostram aetatem (i. e. 377), sed hisce supplementis fidem habere nequimus quia auctores neque gradu dignitatis neque scientiâ eminuerunt." Utrum Ferghânîi opus cognitum habuerit, non liquet, sed parum probabile videtur. Sachâwî f. 93 v. memorat supplementum ad Annales, speciatim rebus gestis Çalâh addîni consecratum.

Proprie Ibn Maschkaweih et Ibn al-Athîr etiam epitomatoribus et continuatoribus Tabarîi annumerari possunt. Ille historiam enarrans exempli et admonitionis gratia Tabarîum plerumque arcte secutus est, rariter aliis fontibus adhibitis ad regnum Moktadiri usque. Deinde ad annum 369 narrationem continuavit. Quod Ibn al-Athîr in praefatione dicit se ante omnes Tabarîum ducem cepisse, cujus relationes diversas in unam redegerit, aliunde suppletis quae in Annalibus desiderarentur, verum est, ideoque liber ejus magnae fuit utilitatis ad textum Tabarîi constituendum, licet locos difficiliores saepissime omiserit. Deinde, ut notum est, continuavit opus ad

---

a) بِهِ خُتِمَ فَنُّ التاريخ.

annum 622. De aliis chronicorum auctoribus qui ex opere Tabarîi magnam partem ipsorum librorum excerpserunt, non opus est ut dicam.

Versio quae dicitur Persica Annalium anno 352 facta jussu veziri aut ab ipso veziro principis Samanidae, Abû Alî Mohammed al-Bal^camî, est tale epitome qualia memoravit auctor *Fihristi*. Dozy in Catalogo Leidensi appellavit »macrum et exile compendium". Longas saepe narrationes paucis reddidit et multa contra de suo aut ex aliis fontibus addidit praesertim in historia antiqua. Hic liber ipse et versiones Turcicae et Arabicae in multis bibliothecis reperiuntur. Anno 1836 Dubeux primum volumen versionis Gallicae hujus operis edidit secundum codices Parisinos, deinde annis 1867—1874 Zotenberg quatuor tomis completam versionem publici juris fecit, aliis quoque codicibus usus. In editione Annalium paranda Bal^camîi opus alicujus, sed non magni usus fuit. Viros doctos admonitos velim ne Bal^camîi verba sine diligenti examine textus Arabici pro Tabarianis sumant, ut interdum factum est. Quod Herbelot scripsit (voce Thabari): »cette traduction est beaucoup plus curieuse que le Texte Arabique" hodie nemo affirmare volet.

Venio nunc ad historiam editionis Leidensis. In opusculo quod anno 1832 Londini prodiit c. t. »A critical essay on various manuscript works Arabic and Persian illustrating the history of Arabia, Persia, Turkomania, India, Syria, Egypt, Mauritania and Spain", i. e. versio Anglica tractatus Persici anno 1748 conscripti a viro quodam docto in Bengala, legimus p. 14 de Annalibus Tabarîi: »But this admirable work, in the original Arabic, is so extremely rare that the humble editor of this tract has never, to the present hour, seen more than two volumes of it: and if a reasonable judgment may be formed from the contents of these two portions, it is evident that the whole work must have occupied at least *twenty* volumes." In annotatione ad h. l. Ouseley scripsit doctos viros ut Erpenius et Ockley opinatos fuisse opus Tabarîi periisse,

aut fragmenta tantum servata fuisse, magno itaque se gaudio comperisse magnam partem, quinque nempe volumina existere in Bibliotheca regali Beroliuensi. Kosegarten in praefatione ad suam Annalium editionem cujus vol. 1 anno 1831 prodiit, p. IV scripsit: »Integrum hoc opus, arabica lingua conscriptum, Taberistanensis viginti circiter partibus complexus esse videtur, quarum, quantum scio, nonnisi quinque in bibliothecis Occidentalibus adhuc repertae sunt, tertia, quinta, decima, undecima, duodecima." Tertia de qua loquitur est codex Leidensis, quinta est Berolinensis e qua Kosegarten textum tribus voluminibus edidit cum versione latina, annis 1831, 1835 et 1853. Partes 10—12 annos 71—159 continentes, item Berolini asservantur. In praefatione ad volumen alterum addidit se deinde cognovisse Oxoniae etiam partes Annalium reperiri, nempe tomum nonum, quatuordecimum et fragmentum. Miror vero quod scripsit in praefatione ad volumen tertium: »volumine quarto, a me mox edendo, continuabitur rerum annis Moslemorum 23—33 gestarum expositio, e codice horum annalium Oxoniensi exscripta", nam neque inter tomos ab ipso in praefatione ad volumen alterum memoratos exstat, neque mihi tomus annos 23—33 continens Oxoniae invenire contigit[a]). Dozy in Catalogo Leidensi II, 144 his addere poterat tomum in bibliotheca Musei Britannici et alterum in bibliotheca Algeriensi. Saepe autem amatum praeceptorem audivi dolentem quod tot volumina periissent nobilis operis, sine quo certas partes historiae Arabum penitus cognoscere nunquam possemus.

Quum anno 1862 Oxoniae essem et opera historica perlustrarem, reperi duo volumina Annalium quae titulo carebant et hinc in catalogo anonyma manserant. E litteris quibus hoc cum Fleischero communicavi, hic excerptum dedit in ZDMG. XVI, 759. Quod movit D^{mum} H. D. Mordtmann ut perscrutaretur bibliothecas Constantinopolitanas et videret

a) Forte voluit cod. 781 Uri, de quo v. infra.

ecquae partes Annalium ibi existerent. Anno 1871 in ZDMG XXV, 265 seq. bonum eventum viris doctis impertivit, se nempe vidisse in bibliotheca Aja Sofia octo Annalium volumina, quae paucis descripsit. Ab hoc inde tempore spes me tenuit, opus integrum e sparsis illis voluminibus restitui posse.

Revera, omnibus accuratius indagatis et perpeusis, patuit hanc spem non futilem esse, etiamsi plena certitudo nondum obtineri potuisset. Editio autem ingentis operis, si bene procederet, a consortio virorum doctorum suscipi deberet, quum unius vires opera superaret. Unde vero subsidia pecuniaria iis obtingerent ad apographa obtinenda codicum Constantinopoli et in Museo Britannico asservatorum, ad sumtus typographicos, alia, perplexum videbatur. Haec difficultas fortasse cogisset de proposito desistere, quum die 22 Decembris 1872 litteras accepi e Basilea Helvetiae, missas a D^mo^ A. Socin, tunc temporis omnino mihi ignoto, quibus scripsit, praeceptori pristino, professori in universitate Basileae, Cl. Stähelin, magnopere cordi esse editionem Annalium Tabarîi eumque spectabilem summam 5000 francorum ad impensas necessarias conferre paratum esse, si ego laborem suscipere vellem. Respondi mihi haud disciplicere munus, sed me hoc ipso tempore totum esse in praeparanda editione operis Mokaddasîi itaque in praesenti nihil agere posse, nisi viam aliqua ex parte munire, addens ante omnia necessarium fore ut codices Constantinopolitanos accurate transscriberentur. Socin mense Januarii 1873 in Syriam profectus est, unde factum est ut non ante mensem Decembris hujus anni alteram epistolam acceperim, qua mecum communicavit Cl^mum^ Stähelin summam dictam daturum esse solâ conditione „dass etwas daraus werde". Duo tantum hoc anno acta fuerant. Primum quod Cl. Sachau mihi officium persolvit accuratius examinandi codices Constantinopolitanos, qua opportunitate apparuit eos proprie ad bibliothecam Köprülü pertinere. Alterum quod amicissimus Nöldeke, non sine haesitatione, consentiret ut partem muneris edendi in se susciperet. At consilium captum, ratio edendi

instituta fuit, ultimoque die Januarii 1874 ad Cl. Stähelin litteras misi quibus declaravi me suscepturum esse editionem Annalium, itaque summam oblatam accipere, quam tamen totam apographis faciendis impensurus essem. Die 11 Februarii Socin respondit mihi concedi quod proposueram, Stähelino autem gratum fore si ea pars quae de Mohammede agit mature prodiret. Forte fortuna neque Socin, nec ego intelleximus, hoc votum proprie voluisse conditionem. Ante omnia quidem operam dedi ut collaboratorem nanciscer qui hanc partem Annalium edendam suscipere vellet, sed certum mihi persuasum erat, summam oblatam destinatam esse editioni totius operis. Itaque statim in epistolarum commercium intravi cum D^{mo} Mordtmann de transcribendis illis partibus codicum Constantinopolitorum quae in aliis bibliothecis Europaeis desiderabantur. Quum postea (14 Dec. 1874) Socino mihique patuit nos mentem Stähelini non probe intellexisse, sero fuit nec rei mederi nobis licuit. Sed vir venerabilis qua erat liberalitate et benevolentia in bonam partem accepit et solvit quod promiserat, forte memor verborum quae ad eum scripseram in prima epistola: »Sie aber werden die schöne Genugthuung haben, durch Ihre Hülfe das grosse Unternehmen ermöglicht zu haben; und dem gelehrten Publicum gegenüber wird Ihre Unterstützung der Sache eine wirksame Empfehlung bilden."

D^{mus} Mordtmann, vir summae comitatis et officiosus ut pauci, non dubitavit operam rei navare. Mense Majo jam tres scribas conduxerat, quorum numerum ante finem mensis ad undecim auxerat. Mox autem vidi summam quam Stähelin dederat nequaquam sufficere transcribendis codicibus quibus omnino carere non possemus. Itaque applicavi me ad ministrum Regis rebus publicis praefectum Hagae Comitum et petivi subsidium 1500 florenorum, quod mihi concessum fuit. Initio anni 1875 in assem solvere potui debita. Mense Octobris anni superioris apographa omnia acceperam et 9 Decembris Cl^{o} Stähelin impertire potui ea sat bene facta esse, porro Cl^{um} Loth initium fecisse transcribendi codicis Berolinensis qui

